

Apostoli non solum debebant credere Filium Dei hominem factum, sed illum hominem determinatum esse filium Dei. Neque enim satis est credere Ecclesiam esse aliquam a Christo institutam, sed credenda est haec determinata Ecclesia, quam Christus instituit, credendumque est eam esse veram Ecclesiam Christi; hoc enim de fide est. Et sane tenemur credere, ut ait Suarez (De Fide Disp. IX. Sect. 9), ea quae vera Ecclesia credit: hoc autem est impossibile, nisi certa Ecclesia in particulari credatur. Iam vero ut haec Ecclesia credatur, oportet ut hoc obiectum fidei sit in facto positum, et sensibus quoque demonstrabile; secus enim non potest dici haec Ecclesia. Itaque retorquere argumentum licet hoc pacto: credenda est haec Ecclesia; atqui haec Ecclesia credi nequit nisi sit quoque visibilis: ergo ita est credibilis Ecclesia, ut sit quoque necessario visibilis: et quidem non tantum visibilitate materiali et sensibili: sic enim nulla Ecclesia videretur; sed et intelligibili, ut ab initio Thesis explicatum est. Quomodo autem haec duo conciliantur? Scilicet duo sunt distinguenda, nempe et evidentia credibilitatis, et fides. Cognoscimus sive intelligibiliter videmus motiva seu signa, vel ex ratione vel ex Scripturis quoque accepta, alicui coetui inesse, quae nonnisi Ecclesiae verae competere possunt; sicque cognoscimus evidens esse quod credibile sit hunc coetum esse Ecclesiam a Christo institutam, omnibusque praerogativis auctam quas Christus Ecclesiae suae promisit, cognoscimus enim per haec signa cum certitudine testimonium Dei de veritate Ecclesiae; hinc innixi auctoritati divinae affirmamus eam esse Ecclesiam Dei: quia vero affirmatio innixa auctoritati Dei est assensus fidei divinae, ideo hoc credimus. (Cf. Inst. Philos. Theol. Th. ult. pag. 313).

Piget ea confutare quae ex historia afferuntur. Constat enim Ecclesiam aetate persecutionum semper visibilem fuisse ita ut in oculos incurreret et eorum qui eam ferro persequerentur, et qui eam scriptis impugnabant, et qui ad eam quotidie conveniebant ut salvi fierent. Constat aetate ariana splendidissima fulsisse Ecclesiam visibilitate; et si post Concilium Ariminense miratus est totus orbis se esse Arianum, ut inquit Hieronymus adv. Lucifer., iam patet non fuisse reapse arianum, secus miratus id non esset: eaque Hieronymi hyperbolica locutio huc redit, miratum esse orbem catholicum quod plures episcopi qui ipsum repraesentabant in arianam perfidiam licet imprudentes concessissent.

§. XI.

Cum Ecclesia sit corpus Christi vivens, duplicem primo putamus distinguere posse in eo vitam, alteram externam et socialem, cuiusmodi competere potest cuique bene institutae societati; alteram interiorem, quae singula membra immediate afficit, vel afficere potest. Ratione huius alterius vitae duplex distingui solet elementum in Ecclesia, interius et exterius, anima et corpus. Corpus vis elementis constituitur quibus forma socialis Ecclesiae continetur, nempe ministerio Pastorum oviumque subordinatione, professione fidei, sacramentorumque participatione. Anima sunt dona interiora fidei et caritatis, gratiae sanctificantis, ceterarumque virtutum. Duplex ergo principium formale distinguendum est in Ecclesia; alterum PRINCIPIUM FORMALE SOCIETATIS, alterum PRINCIPIUM FORMALE VITAE SUPERNATURALIS IN MEMBRIS. Illud essentiale est Ecclesiae ut ea sit societas, mediumque idoneum hominibus pro consequenda iustitia et salute; hoc necessarium est membris ut illud assequantur et sint propter quod ad Ecclesiam sunt vocati. Porro sicut iustitia necessaria non est ut quis membrum Ecclesiae censeatur, ita cum Bellarmino arbitramur occultam haeresim non impedire quominus adhuc aliquis sit Ecclesiae membrum.

I. Cum Ecclesia sit societas, potest in ea primum concipi vita, quemadmodum in quavis alia recte instituta societate. Porro societas vivere dicitur, cum operatur in consecutionem sui finis; operatur autem cum auctoritas valide et efficaciter regit, subditique sequuntur directionem auctoritatis. Pariter Ecclesia societas visibilis constans praepositis et subditis vivere dicenda erit, si auctoritas praepositorum valide et efficaciter regat fideles, hique eidem obediant auctoritati. Ideoque Ecclesia vivet, si magisterium eius infallibile erit, si potestati eius debita reverentia et obedientia adhibeatur, rectisque legibus et iudiciis subditi gubernentur. Haec est vita quaedam exterior, socialis, competens Ecclesiae eo quod est societas. Anima, si ita loqui fas est, huius vitae ipsa est auctoritas, quam Christus caput Ecclesiae princeps instituit, et qua mediate regit corpus suum visibile.

II. Verum in Ecclesia praeter hanc alia est vita interior quae singula membra immediate afficit vel afficere potest, vita supernaturalis qua edantur opera meritoria vitae aeternae. Haec specialiter intelligi communiter solet cum dicitur vita Ecclesiae. Ratione habita

huius vitae distingui solet a theologis in *Ecclesia corpus et anima*, ut anima sit id quod est principium huius vitae, corpus vero quod ab ea veluti informatur. Verum cavendum est ne locutiones istae metaphoricae ultra suos limites ferantur, quod ille faceret qui de anima et corpore Ecclesiae secundum notiones omnes ac habitudines animae et corporis hominis vellet ratiocinari. Ut ergo confusio idearum via praecludatur, haec monemus.

Corpus Ecclesiae cum dicitur, non intelliguntur proprie personae, quae potius ad corpus spectare dicuntur, sed ea elementa intelliguntur quibus forma externa visibilis Ecclesiae constituitur, quae sunt ministerium Pastorum eique aliorum subordinatio, quacum cohaerent professio fidei, sacrorumque communio. Quoniam haec exteriora per se sunt, et per ea homines in societatem sive in corpus aliquod aptantur, eadem appellantur corpus Ecclesiae. Anima est id quod procedit ex influxu supernaturali quo Christus vivificat et unit sibi membra sua, ut operari valeant ad salutem. Hoc autem interius est, inhaerens ad modum causae formalis, principium existens operationum supernaturalium, et meritorum vitae aeternae. Huiusmodi porro sunt dona interiora fidei, spei, caritatis, gratiaeque sanctificantis, ceterarumque virtutum cum ea connexarum. Charismata vero gratis data ad ministerium potius ideoque ad corpus Ecclesiae pertinent; et sane ab Apostolo connumerantur simul cum ministerio 1. Cor. XII, 28.

Iam si animae notionem consideras prout est principium vitae in aliquo subiecto quod ipsa informat, liquet subiectum, quod informari potest ab ea forma quae Ecclesiae anima dicitur, esse omnem hominem; subiectum vero quod actu informatur, vel perfecte vel imperfecte informatur. Informatur perfecte, cum totam, quoad essentiam, formam participat, h. e. fidem, spem, caritatem, gratiamque sanctificantem: informatur imperfecte, cum ex parte eam participat, habens nempe fidem tantum, quae principium est interioris vitae, vel etiam spem. Porro habitus fidei, spei et caritatis simul infunduntur cum actibus propriis earum virtutum; quare opus non est spectare actus seorsim ab habitibus. Gratiae vero actuales praeparatio quidem sunt ad actus et complementum habituum: quapropter et ipsae ad animam referuntur: sed si sine habitibus solae sint citra consensum, cum Christo ullo modo non uniant seu non vivificent vel incomplete, animae rationem non habent.

Ex dictis consequitur duplex distinguendum esse principium formale in Ecclesia, alterum exterius, quo societas constituitur, alterum interius, in quo vita supernaturalis membrorum consistit. Ut autem utriusque huius principii discrimen plenius intelligatur, advertendum

est quod gratia fidei et sanctitatis est finis propter quem Ecclesia instituta est, eaque gratia primo et per se confertur singulis membris, et per ipsa corpori quod constituunt; nam singuli homines sunt ii qui iustificandi et salvandi sunt, et singulorum salus finis est ipsius Ecclesiae, et ratio cur ad Ecclesiam vocentur: unde haec dona conferuntur quidem singulis prout sunt in unitate, sed non ideo quia primum et per se societati, tum deinde singulis destinata sint haec dona, sed ideo quia Ecclesiae ministerium est medium quo singulis ea dona conferuntur. E contrario principium formale exterius, quod est auctoritas, spectat per se et immediate ad societatem, ideo enim institutum est ut existat societas, eaque societas in qua et per quam homines salvari possint. Hinc sicut necesse est subordinari illi auctoritati, cuius exercitio salus hominibus comparatur, ita necesse est spectare ad Ecclesiam: Ecclesia enim prodit ex praeditis ea auctoritate, eique subordinatis: hoc autem totum est medium quo singuli possint consequi iustitiam et salutem. His positis quaestio duplex expedienda est: 1^o an iustitia, qua anima Ecclesiae absolvitur, necessaria sit ut quis sit Ecclesiae membrum; 2^o an saltem necessaria sit fides eaque interior. Haec enim duplex quaestio oritur sponte ex doctrina praestituta de anima et corpore Ecclesiae.

III. Iam vero quod spectat ad alteram quaestionem difficultas est praecipue propter Ecclesiae visibilitatem quoad haereticos occultos. Quidam vero ab ea se expediunt docentes hoc solum, haereticos nempe non esse Ecclesiae membra, praetermissa distinctione inter occultos et manifestos (cf. Passaglia De Ecclesia L. III. c. 36.): alii concedunt occultos haereticos spectare ad Ecclesiae corpus, negant spectare ad animam (Tournely De Ecclesia Quaest. IV. a. 3. Concl. 2.); qua quidem responsione non satis fit quaestioni, est enim per se evidens, idque admittitur in ipsa quaestione quod haereticus non spectat ad animam Ecclesiae, si anima est fides, spes, et caritas: sed quaestio superest an qui ad corpus dicitur spectare, vere et simpliciter ad Ecclesiam pertineat. Id profecto concedit Bellarminus (De Eccl. L. III. c. 2 et 10.) advertens Episcopum vel Papam qui sint haeretici occulti vere adhuc habere iurisdictionem: ipsam autem rationem aperte docere quod membrum sit Ecclesiae ille qui in ea iurisdictionem ordinariam habet, et praesertim qui est eius caput. Idcirco distincta duplici functione membri, vitae scilicet et instrumenti, haeretici occulti dicendi forent in hac Bellarmini sententia membra Ecclesiae in ratione instrumenti, si praesertim sint personae instructae iurisdictione, non vero solum dicendi essent ad Ecclesiam spectare ut mali humores in corpore; nam reapse caput Ecclesiae nequit comparari malo humori infesto corpori, et praeterea mali

humores non nisi maxime improprie dicuntur esse de corpore: quamvis Bellarminus c. 2. haereticos occultos generatim considerans dicat eos esse veras quidem partes Ecclesiae, sed sicut capilli et unguis aut mali humores sunt in corpore humano.

Haec quidem sententia asserens haereticos occultos esse Ecclesiae membra habet non paucos defensores inter recentiores praesertim: contrariam tamen sententiam veriore existimat Suarez (De Fide Sect. I. n. 24.) qui citat Turrecremata L. IV. Summae p. 2. c. 20.: et in hanc sententiam negantem inclinat cl. Patricius Murray (De Ecclesia Disp. III. n. 107.). Cui sententiae videtur favere Pius IX. in Constitutione *Ineffabilis* De Immaculato Conceptu: sic enim concludit: « Si quis secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserit corde sentire, ii noverint ac porro sciant se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere si quod corde sentiunt, verbo aut scripto aut alio quovis externo modo significare ausi fuerint. » Ubi duo seceruntur, *corde sentire*, et quod corde sentitur *exterius significare*; porro propter illud quis dicitur ab unitate Ecclesiae deficere, quod est ab Ecclesia separari. Ita arguit Murray citatus. Huius negantis sententiae Patroni negant exinde sequi Ecclesiae invisibilitatem: nam, ut ait Suarez ibid. Sect. 8. n. 6., fides interior per externa signa videri aliquo modo potest, et quamvis de singulis membris edentibus signa verae fidei nequeamus cum certitudine prorsus infallibili, sed solum prudenter, iudicare quod sint vera Ecclesiae membra, attamen de toto corpore non solum prudenter sed infallibiliter etiam iudicamus esse veram Ecclesiam, quia licet facile posset unum vel aliud membrum nos decipere, non tamen corpus univsum, eo quod divina promissione constat veram Ecclesiam semper fore, neque unquam a fide defecturam.

Contra Bellarminus contendit hac doctrina statuta nullam inter nos et haereticos amplius existuram quaestionem de Ecclesiae invisibilitate, quod ita probat. « Lutherani et Calvinistae signa visibilia quaedam et externa Ecclesiae statuunt, nimirum praedicationem Verbi Dei, et Sacramentorum administrationem, et constanter docent ubicumque haec signa conspiciuntur, ibi esse etiam veram Christi Ecclesiam. Quia tamen solos iustos et pios ad Ecclesiam veram pertinere volunt, et nemo potest certe scire qui sunt vere iusti et pii inter tam multos qui iustitiam et pietatem exterius prae se ferunt, cum certum sit multos ubique esse hypocritas et falsos fratres, idcirco nostri recte concludunt eos facere Ecclesiam invisibilem. Porro Lutheranis et Calvinistis iustitia in sola fide consistit, idemque est

apud eos Ecclesiam esse coetum iustorum et piorum, et esse coetum vere credentium. Quis non igitur videt nos cum illis plane convenire si omnes illos ab Ecclesia excludamus qui veram fidem in corde non habent? » Hoc quidem argumentum per se prout sententiam oppositam refellit, potius est contra demonstrationem et quidem aliquam demonstrationem thesis adversariorum quam contra ipsam thesim.

Quidam dissensum hac in re componere se posse putant docentes haereticos occultos non esse quidem in Ecclesia *vere* sed esse tamen *apparenter*: quatenus quasdam notas habent quibus videantur nobis esse in Ecclesia. Verum id neque Suarez negabit quod nempe videantur, nobis scilicet, ii esse in Ecclesia; at quaestio est an vere sint, ita ut coram Deo quoque dici illi possint Ecclesiae membra licet imperfecta, arida, mortua, sicut ea vocat Bellarminus l. c. c. 10.

Nec controversia ista inter Theologos est de nomine; ac si solum in vocibus dissiderent Theologi, sed est de re. Ii enim qui cum Bellarmino affirmant haereticos occultos esse de Ecclesia quamvis concedant non spectare ad animam Ecclesiae, contendunt tamen ita spectare ad corpus ut vere sint membra Ecclesiae ita ut eius definitione contineantur; qui autem cum Suarez negant illos ad Ecclesiam spectare, negant vere spectare etiam ad corpus, eosdemque definitione Ecclesiae comprehendendi. Quaestio est ergo an vere nec ne illi ad Ecclesiam pertineant, quae est profecto quaestio realis, et qui in ea dissident, de re controversiam habent, non de solis nominibus.

Contra argumentum Bellarmini petitum ex invisibilitate quae Ecclesiae asserenda esset, si fides interior postularetur, proponitur ab adversariis instantia hoc pacto. Necessitas alicuius interioris doni non obest visibilitati; nam in Ecclesia certe requiruntur vere baptizati ac consecrati episcopi et presbyteri sine quibus nec remissio peccatorum nec sacrificium aliaque sacramenta haberentur: porro ad hoc ut ii sint requiritur character, qui non videtur, nec certo cognosci potest ex administratione ritus, quia praeterea requiritur intentio ministri, quae invisibilis per se est et simulari potest non secus ac fides. Porro horum exigentia non obest visibilitati Ecclesiae; ergo neque oberit exigentia interioris fidei.

IV. Ut quantum in nobis est quaestionem dirimamus, advertimus 1^o recepta definitione Ecclesiae a Bellarmino tradita (De Eccl. L. III. c. 1.) quod sit coetus hominum *unius et eiusdem fidei christianae professione et eorundem sacramentorum communionem coniunctus sub regimine legitimorum Pastorum ac praecipue Romani Pontificis* (quam definitionem et alii recipiunt, licet verbis

fidei christianae fidem quoque interiorem intelligant), non nocere eiusdem visibilitati invisibilitatem quamdam characterum baptismi et ordinis, qui haud dubie in Ecclesia requiruntur. Nam sufficit quod certo constet coetum fidelium ex vere baptizatis universim coalescere, et coetum Sacerdotum ex vere ordinatis universim constitui, certumque sit omnes in Ecclesia viventes sub regimine Pastorum, Ecclesiaeque Sacramenta participantes, etsi forte absque eorum culpa baptizati non sint, vere esse Ecclesiae membra: quod quidem certum est ex declaratione Innocentii (c. *Apostolicam* de Presb. non baptiz.). Illud vero primum quoque constat: nam a) ratione habita legis moralis qua hominum actiones reguntur, certum efficitur quod in tanta multitudine plures baptizantes et ordinantes, pluresque baptizati et ordinati debitam habuerint intentionem. Ratione vero b) habita divinae providentiae gubernantis Ecclesiam suam, certi infallibiliter sumus quod plures baptizati episcopi et presbyteri vere sunt tales, de singulis autem, nisi aliud constet, iure praesumimus: quocirca generatim certum est coetum fidelium esse coetum baptizatorum, et coetum presbyterorum ac episcoporum esse reapse talem. Quid vero de capite Ecclesiae qui potest esse non baptizatus? Quoniam in communionem Ecclesiae vixit, vere censetur membrum Ecclesiae iisdem iuribus gaudens ac baptizatus; ideoque capax est iurisdictionis ecclesiasticae quam Deus pro bono Ecclesiae illi communicat; et sic vere est Ecclesiae caput. Haec vero sufficere possunt: nam sic visibilitate intelligibili videtur cum certitudine coetus qui est coetus baptizatorum, sacerdotum ac membrorum Ecclesiae. Quae autem diximus de certitudine existentiae vere baptizatorum et ordinatorum, idem dicatur de certitudine existentiae habentium interiorem fidem; quare quamvis de singulis non possimus certe affirmare, licet tamen id certe affirmare de toto corpore universim et praesumere iure de singulis; eadem enim est ratio.

At 2° si postulatur interior fides ut membrum quis sit Ecclesiae, ita ut etsi exterius videatur, vere tamen non sit in Ecclesia, non adeo facile in tuto ponitur visibilitas Ecclesiae. Nam quamvis certum esse possit quod magna vel etiam maxima pars huius coetus est vere fidelis, cum tamen ad singulos ventum est certitudo deficit; neque enim adest de singulis promissio divina; nec licet provocare, ut in priore hypothesi, ad communionem cum Ecclesia sacrorumque participationem, quia in hac hypothesi id non sufficit sine vera fide. Porro quamvis quoad ceteros non oporteat nos esse sollicitos de singulis, tamen unus est profecto qui nos sollicitos tenere debet, Christi scilicet Vicarius Romanus Pontifex qui est Ecclesiae essentialis ut modo supponimus; idque nunc proferimus quia cum

catholicis quoque disputamus. In hac enim sententia oportebit dicere certum esse ex divina promissione quod ipse nunquam sit haereticus occultus; si enim sit talis desinit esse membrum, et si membrum non est, nequit profecto esse caput. Quanta ergo incertitudo in re tam necessaria Ecclesiae ingeritur si non habeatur ea divina promissio! Verum quamvis probabile sit Romanum Pontificem nec privatim nec occulte fore unquam haereticum, id tamen certum non est, cum nec ipsis Romanis Pontificibus certum fuerit, ideoque ea promissio divina certa non est. Itaque essenziale membrum Ecclesiae, quod est caput, non gauderet in hac hypothesi visibilitate ea quae necessaria est.

Ex his concludimus non perinde esse postulare fidem interiorem tanquam essentialem notam membri Ecclesiae, ac postulare characterem baptismi et ordinis ac ipsam interiorem fidem in Ecclesia universa quae definiatur secundum Bellarmini definitionem: nec contra ipsum satis idonee retorqueri argumentum ex invisibilitate eorum characterum petitum.

Ratione ergo habita eorum quae initio §. huius praestituimus recolendum est 1° principium formale Ecclesiae, prout est societas, esse auctoritatem, atque hanc quatenus est formale principium non immerito appellari posse animam Ecclesiae. Quotquot proinde illi auctoritati subsunt, ab ea animari dicendi sunt. Iam vero qui exterius profitetur fidem, quam Ecclesiae auctoritas docet, qui eidem obediunt, et cum ea in participatione sacrorum communicant, imperfecte quidem quia fidem ex corde detrectant, aliquo tamen vero modo ab eo principio formali animantur quia libere ei se in extrinseca professione et communionem subordinant.

Recolendum est 2° Ecclesiam Christi esse essentialiter societatem quae ministerio ab eodem instituto subest; ideoque licet prout est credentium coetus conveniat essentialiter cum Ecclesia quae ante Christum fuit, tamen integre secundum omnia sua essentialia spectata differt essentialiter ab illa. Quocirca ut sciatur quid necessarium sit membris Ecclesiae Christi directe ex eius propria essentia inspecta id colligendum est.

His positis dicimus videri nobis veram sententiam Bellarmini, haereticos nempe occultos adhuc esse Ecclesiae membra. Et sane id ostendit primo necessaria Ecclesiae suique capitis certa visibilitas, quod iam expendimus. Ostenditur ex eo deinceps quod haereticus occultus, puta Episcopus, adhuc habet iurisdictionem eamque ordinariam quae vi sui muneris ei competit, non quemadmodum schismaticus quoque aut publicus haereticus sacerdos in casu necessitatis habere potest extraordinariam facultatem absolvendi: Episcopus enim